



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Doctrina Abbatis Ioannis Cyzici pro acquirendis virtutibus. Capvt CLXXXVII.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

dixit mihi: Ecce nunc tui misertus sum. Vade, & emendare de reliquo. Aspiciebam autem mulierem illam ad dexteram Imperatoris astantem, & dicentem mihi: Confide, & noli timere. Iussitq; Rex mihi vniuersa restitui, addensque mihi bona plurima, restituit me in priorem statum, faciens me præterea locum tenentem. Ipsa igitur nocte apparuit mihi rursus eadem mulier, & ait mihi: Scis, quæ sim ego? Illa sum, cum qua fecisti misericordiam, & propter Deum non tetigisti corpus meum. Ecce & ego liberaui te à periculo. Vides clementiam Dei, quomodo per me, cui fecisti misericordiam, apparuit tibi misericors, quasi dicēs: Hoc propter me fecisti, & ego magnificaui misericordiam meam super te.

Doctrina Abbatis Ioannis Cyzici pro acquirendis virtutibus.

CAPVT CLXXXVII.

CVM à sancta Gethsemani ascenderemus in sanctum montem Oliueti, monasterium offendimus Abbatis Abramij. Huius monasterij pater erat Abbas Ioannes ex Cyzico. Interrogauimus autem eum die quadã dicentes: Quomodo virtutem possidet quispiam? Respondit senior, & ait: Qui virtutem possidere voluerit, nisi prius oderit virtuti ex diametro contrariam malitiam, eã acquirere, ac possidere non potest. Si igitur habere vis luctum, semper odio habeas risum. Si humilitatem habere desideras, superbiam semper execrãre. Si continens esse cupis, gastrimargiam odi. Si pudicus, detestare luxuriam. Si nudus, materiam fuge. Qui vult esse misericors, auaritiã caueat. Qui eremũ habitare desiderat, ciuitatis frequentia odio habeat. Qui cupit inuenire

nire quietem, fiduciam oderit. Qui peregrinus esse vult, apparentiam odio habeat. Qui iracundiam continere desiderat, multorum consilia fugiat. Qui iniurias obliuisci vult, maledicta doctetur. Qui sine distractione esse appetit, solitarius maneat. Qui continere vult linguam, obstruat aures, ne multa audiat. Qui Dei timorem habere cupit, corporalem oderit requiem, diligitque afflictionem, & angustiam.

Vita duorum fratrum Trapezitarum Syrorum.

C A P V T C L X X X V I I I .

ABBAS Theodorus antiqui monasterij pater, narrauit nobis dicens: Erant Constantinopoli fratres dno trapezite syri. Dixit maior ex illis minori fratri: Veni, descendamus in Syriam, & possideamus paternam domum nostram. Dixit illi iunior: Cur ambo dimittimus hic ministerium nostrum: Descende ipse, & ego hic manebo, vel ego descendam, & tu hic remane. Conuenit ergo inter eos, vt discenderet iunior. Cum itaq; descendisset, post breue tempus is, qui Constantinopoli remanserat, vidit in somno senem quendam speciosum, & magnæ reuerentiæ, dicentem sibi: Scis, quia fornicatus est frater tuus in vxorem cauponis: Qui exurgens à somno contristari cœpit, & intra semetipsum dicere: Ego illi causa fui istius lapsus. Cur enim dimisi illum solum? Aspexit autem eundem se, undecientem sibi: Scis, quia frater tuus corruit in vxorem cauponis? Quo viso, rursus contristatus est. Tertio conspicit eundem dicentem sibi: Nescis, quia frater tuus perdidit liberam mulierem, & in vxorem Cauponis effusus est? Scripsit igitur ad illum ex Constantinopoli, vt statim dimittis omnibus